

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Exegesis.

Hodiernus festus dies Michaelis à sancto Archangelo Michaelè nomen sortitus est, de cujus apparitione triplici Pontificii multa fabulantur, quæ verò suo loco relinquimus. Quod autem nos hunc diem in ecclesiis A. C. solenniter celebramus, id non in honorem creati Archangeli, sed Christi facimus, ad animum nobis hoc ipso præclara illa beneficia revocantes, quæ nobis per sanctorum Angelorum tutelam exhibuit, unde in voce laudis immolare Domino, & quæcunque vovimus, reddere salutem Domini tenemur, qui nos tam gratiosè respexit, & in calamitatibus auxilio suo præstò fuit, Jon. 2. v. 10.

Ad *Ανδρῶν πολογίαν* verò, sive *notitiam nostri* deducet nos:

1. *Superborum ingenium*, qui non contenti sunt sorte suâ, sed lautiorē desiderant, dum cum Absolone in quercu exitii penduli fiant, in superbia enim initium sumit omnis perditio, Tob. 4. v. 14.

Exemplum habemus in Apostolis prælecti Evangelii, qui ex vanâ ambitione à Servatore questionem decidendam petunt, quis major sit in regno cælorum?

Hoc igitur Apostolis, velut personis ecclesiasticis minus conveniebat: non enim propterea Christus eos elegerat, ut super populum dominarentur, Luc. 22. v. 26. sed vestes ejus essent in Hierusalem, & in omni Judæa & Samaria, usque ad ultimum terræ, Act. 1. v. 8.

Hic probes velim te, utrum & tu gradum honoris altiorē affectaveris, quàm equū est?

Ejusmodi homines nunquam defuerunt, virus enim illud ambitionis omnibus ho-

minibus in Protoplastis nostris instillatum est ab antiquo serpente, qui principio Evam ita fascinavit, ut ex præpostero desiderio, quo Deo similis foret, de ligno scientiæ boni & mali ideo gustavit, Gen. 3. v. 5.

Eodem veneno infecti fuere, Korah cum cœtu suo, Num. 16. v. 1. Haman, Esth. 5. v. 9. c. 7. v. 9. Absolon, 2. Sam. 14. v. 25. qui hoc ipso certissimum sibi exitium attraxerunt.

Adhuc hodie antequam conteratur, exaltatur cor hominis, Prov. 18. 12. & ruinæ certissimus antesignanus ambitio est. Deus enim alta à longè cognoscit, Psal. 38. 6. & elatos contentibiles reddit, Sir. 10. 16. Hinc Æsopus rogatus, quid Deus in cælo faceret? respondit: Humiliat excelsa, & extollit humilia. Cum quo B. Maria consentit, Luc. 1. v. 51.

Hæc doctrina observanda est:

1. *In Choro*, ne verbi ministri dominantur in cleris, 1. Petr. 5. v. 3. ut Papa Alexander III. qui Imperatoris Friderici Barbarossæ collum calcavit Venetiis, dicens: super aspidem & Basiliscum ambulabis: sed gregem sibi demandatum pascant pedo verbi, quem proprio sanguine acquisivit sibi, Act. 20. v. 28. qui major est, fiat sicut minor, Luc. 22. v. 26. Hinc officium verbi, non vocatur Magisterium: sed Ministerium, ut ministri hinc commoneantur, quod omnibus ex æquo ministrare debeant, sicut id Paulus suo ipsius exemplo docet, 1. Cor. 9. v. 19. seqq.

2. *In Foro*. Ubi plerumq; honores mutant mores: sed rarò in meliores: Hinc videas, quorum promineat præpingvedine oculus, Psal. 73. v. 7. Job. 15. 27. Posuerunt in cælo os suum, & lingua eorum transivit in terrâ, Psal. 73. v. 9. Verùm & gravissimum

mum iudicium illis imminet, quia excelsior excelsior est custos, Eccles. 5. v. 7. is aliquando interrogabit opera eorum, & cogitationes scrutabitur, Sap. 6. v. 4.

3. *In Toro.* Cuiuslibet enim Deus locum suum adsignavit, in numero, pondere & mensura, Sap. 11. v. 22. Unumquemque igitur sicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17. nec quærat altiora, Sir. 3. v. 22. Deus enim in altis habitat, & humilia respicit, in cælo & in terra, Psal. 113. v. 6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, 1. Petr. 5. v. 6.

II. *Præsens remedium.* Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque igitur humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.

Hoc absurdum cuiuspiam videri possit, ut cum Nicodemo ille quæreret: Quomodo homo potest renasci cum sit senex? Et si enim non ita intelligendum sit, quod staturâ aut sensibus: sed malitiâ pueri effici debeamus, uti Paulus explicat, 1. Cor. 14. v. 20. Attamen res ardua est, quam quidem inchoare, sed ad perfectionem deducere non possumus, in mortalitate hac: semper enim ex parte cognoscimus, usque dum ad annos discretionis perveniamus, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Eph. 4. v. 13.

Hic tecum in examen descende mi Christiane! utrum & ipse infirmitate tuâ agnitâ, necessarium putaveris, à pueris discere, & eorum institutione uti?

Hic enim Servator advocans parvulum, quem Nicephorus Ignatium, discipulum Johannis Evangelistæ fuisse, autumat, præconem constituit, ut ab eo Apostoli ejus, &

nos omnes veram animi humilitatem discere debeamus. Parvuli enim non inflati, superbi & ambitiosi, ut adultiores sæpè solent, sed humili corde sunt, & ut Paulus ait: Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, Gal. 4. v. 1. sic neque nos superbiamus donis, quæ concedit nobis Deus, sed alios, etiam infimos superiores nobis arbitremur, Phil. 2. v. 3.

Equidem unicuique honos ille debetur, quem Deus ei concedit in functione illa, in quâ à Deo collocatus est, juxta illud: Cui honorem, honorem, Rom. 13. v. 7. Quod verò propterea quis sese efferre, & alios despiciere velit, hæc maxima omnium stultitia est. In oculis enim Dei omnes unum figmentum sumus: quilibet sibi applicet: Terram geris, terram teris, & in terram converteris, Gen. 3. v. 19.

Præterea vilissimi mendici anima non minori pretio à Christo redempta est, quàm anima Romani Imperatoris. Omnes enim pretio magno emit, 1. Cor. 6. v. 19. non auro & argento, sed sanguine suo pretiosissimo, 1. Petr. 1. v. 18. v. 19.

Quin & eodem verbo, baptismo, unâ cœnâ & eadem spe fruimur impetrandæ salutis. Eccur præ aliis nos extolleremus? cur superbiremus, si fortè talentum aliquod præ alio acceperimus? Potius nostri erit officii, concordēs vivere, & dono illo in alterutrum uti, sicut boni dispensatores multiformes gratiæ Dei, 1. Petr. 4. v. 10. *εις παροξυσμὸς τῆς ἀγάπης*, Heb. 10. v. 23. præferim, quia Christus ipse dilectionem characterem Christianorum constituit, Joh. 13. vers. 35.

Multi sibi persuadent, perfacile esse in cælum viam, idèd satis remissi sunt in Christianismo suo: Sed hîc audimus Christum

stum juratò quasi adleverantem: Nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Hoc magnam industriam & diligentiam requirit. Dicitur quidem in Proverbio: Bis pueri senes. Sed id hic locum non habet. Dantur enim & pueri centum annorum, Esa. 65. v. 20. Sed & nullum fidei iustorum habemus, quod ad tantam senectutem perventurissimum, ideo non eò res differenda est, sed memento creatoris tui in juventute tuâ, Eccles. 12. v. 1. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, Sap. 4. v. 8. 9.

III. *Scandali periculum.* De quo Servator: Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur &c.

Hic de *gemino scandalo* audimus. *Primum* est *Activum seu datum*, quod nimirum per verba & opera prava exhibetur: quod facile excipitur à parvulis, qui sunt instar tabulæ rasæ, cui nihil inscriptum aëtu, quodlibet verò inscribi potest. Et quia figmentum cordis eorum pravam est naturâ, ideo facilius ab ipsis malum imbibitur, Gen. 6. v. 5.

Alterum vocatur *scandalum passivum seu acceptum*, quando quis in illo, quod ab altero lit, offenditur, ubi nulla offendendi causa subest. Eo spectat, quod Christus de eruedis oculis, & abscindendis & projiciendis manibus & pedibus discipulis inculcat, quando animæ scandalum præbere velint.

Et quidem intelligenda sunt verba hæc
1. *Proprie*, ut manus retrahamus, ne supergrediantur, neque circumveniant in negotio fratrem, 1. Thess. 4. v. 5. *pedes*, ne ad malum currant, Prov. 1. v. 16. *oculos*, ne videant vanitatem, Psal. 119. v. 37. ut Potipha-

ra, Gen. 39. v. 7. & David, 2. Sam. 11. v. 2. ita erucere, abscindere & projicere debemus, non membra ipsa: sed scandalum, quod in membris se exerit, id quod Paulus his verbis præcipit: Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt super terram, Col. 3. vers. 5.

2. *Metaphoricè*, quo modo Christus hoc docere vult, ne quis nobis tam charus sit in toto mundo, ut per eum nos à Deo abstrahi & ad peccata seduci patiamur, etiam si nobis conjunctissimus & utilissimus foret, sicut manus, pedes, & oculi corpori humano. Qui amat patrem aut matrem plus, quàm me, non est me dignus, Matth. 10. v. 37.

Per *manum* *Metaphoricè intelligi potest amicus*, fidelis vicinus, aut patronus & promotor, qui manum porrigit, ubi auxilio ejus indiges, sicut de Equite Samaritano dicitur, quod in ejus manu Rex incubuerit, 2. Reg. 7. v. 17. h. e. auxilio & fide ejus in bello usus fuerit. Quando igitur ejusmodi manus scandalizaverit te, h. e. quando amicus tuus te pervasurus est, ut adversus Deum & verbum ejus quicquam committas, potius amicitia ejus valedicere, & beneficiis & promotione ejus carere malis, quàm ut ad ejus gratiam injustè agas, & conscientiam tuam saucies. Nam si peccaverit vir in virum &c. 1. Sam. 2. v. 25.

Per *pedes* *Metaphoricè intelligitur famulatum*, quod Dominis inservit, & ire tenetur, quo mittitur, hinc Jacob ad Laban: Benedixit tibi Dominus ad introitum meum, quod Lutherus ita Germ. vertit: Der Herr hat dich gesegnet durch meines Fuß / Genes. 30. v. 30. Quando igitur talis pes scandalizaverit te, h. e. quando servitia impia habes, quæ idololatriâ,

Gggg

uiâ,

ho ho!

riâ, blasphemis, mendacis, libidine, aliisque peccatis tibi & liberis tuis scandala exhibent, abscinde pedem, h. e. extermina eadem domo tuâ, etiamsi tibi perutilia forent, sicut Abraham cum Hagar ita processit, cum supra heram se extolleret, Gen. 21. v. 14.

Per oculos in scriptura significantur, qui in officiis publicis constituti, aliis viam monstrant, ut oculus corpori: qualis in statu ecclesiastico sunt verbi præcones, & præceptores: in politico Magistratus & præpositi: in Oeconomico, parentes, heri & heræ, quæ Deus aliis præposuit, ut auditores, discipuli, subditi, liberi, & famuli, eos sedulo observare & oculis suis respicere debeant, Psal. 123 v. 2.

Quod si igitur oculus tuos scandalizaverit te, h. e. Pastor, & præceptor tuus, Magistratus, Parentes & Domini tui committunt aliquid iniqui noli te ad eorum exemplum conformare: sed erue oculus istum, & fac quod æquum est; Die enim novissimo unusquisque nostrum pro serationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13. & onus suum portabit, Gal. 6. v. 5.

Hic in examen te voca, mi Christiane! annon et ipse per varia scandala molam asinariam vindicta divine tibi attraxeris?

Universus equidem mundus plenus est offendiculorum, & totus in maligno positus est, 1 Joh. 5. v. 19.

Verbi ministri scandalum præbent Auditoribus, quando non acquiescunt sanis sermonibus, & quæ secundum pietatem est, doctrina, 1. Tim. 6. v. 3. sed inanes doctrinas serunt, quæ ut cancer serpunt, 2. Tim. 1. v. 17. tum & impiam vitam agunt, docent alios seipsos non docentes, prædicant non furandum & furantur, Rom. 2. v. 25. Hoc

grave scandalum est, quod enim illi unâ manu edificant, alterâ destruant, adeoque operam & laborem perdunt, Sir. 24. 28.

Magistratus offendiculum addunt subditis, si non sedulo visitent templum, aut vitam impiam agant, aut à vera religione deficient, hoc enim exemplo multi leduntur, & in perversum abripiuntur, nam secundum iudicem populi, sic & ministri eius, Sir. 10. v. 2. Prov. 29. v. 12.

Parentes scandalosi sunt liberis, quando verba indecora, imprecationes, maledictiones effutiant, aut ad superbiam & alia peccata illis ansam præbent. Pueri sunt veluti speculum, quod imaginem ejus rei reddit, quam concipit: sic & illi plerumque parentum vitia referunt. Quapropter semper molæ illius asinarie hic recordari debes, quam Christus illis imitatur, qui parvulis scandalum exhibent.

Olim parricida, cum fele, simiâ, serpente, cane & gallo gallinaceo, culeo coreaceo insuti, suspensus de collo lapide in profundum aquarum missi sunt. Hæc pœna horrenda fuit. Verum hic Christus expedire ei, qui scandalizaverit unum de pusillis, ait, ut morte ejusmodi ignominiosâ afficiatur, nam multò gravior pœna ei reservata est, in barathro infernali, ubi molendinum iræ divina gravissimum sentire & portare cogetur in æternum. Vermis enim damnatorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, Esa. 66. v. ult.

De Secundo.

Progrediemur nunc ad alteram partem, *Xp̄i 15. 10. 14. 15. sive noticiam Christi contemplaturi. Hic nobis in Evangelio præsentate commendatur.*

I. Tars-